



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 92. Donati Cæsii Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. lippi II. Regis filiam natu majorem Cæ-
 A.C. 1586. far - Augustæ conciliavit.

Tandem Madriti in Hispania febrri
 correptus annos natus septuaginta duos,
 die dominico nonas Calendas Octobris
 anno salutis millesimo quingentesimo
 octuagesimo sexto Pontificatus Sixti V.
 secundo e vita migravit, corpusque
 ejus in S. Philippi templo apud Ere-
 mitas S. Augustini depositum, postea
 autem Bisuntium translatum, atque
 ibi, non in Metropolitana Ecclesia, sed
 apud Carmelitas juxta Patrem suum
 conditum est.

§. XCII.

Donati Cæsi Cardinalis extrema.

Ciac. l. c.

pag. 1045.

Aubery l. c.

Ughel. Ital.

Sacra Rubei

hisl. Raven.

Quartus erat Petrus Donatus Roma-
 nus ex illustrissima Cæsiarum fa-
 milia ortus, qui anno Christi millesimo
 quingentesimo vigesimo secundo natus
 ac sub celebriorum Virorum magisterio
 liberaliter educatus Romam reversus
 est, ubi in Federici Cæsi Cardinalis
 aula aliquamdiu vixit: utriusque deinde
 Signaturæ Referendarius, & Episco-
 pus Narniensis die vigesima prima Men-
 sis Junii anno millesimo quingentesimo
 quadragesimo sexto renuntiatus est, &
 in Concilio Tridentino pie, ac docte
 cum aliis Patribus sententiam dixit:
 inde vero redux variis honorabatur offi-
 ciis

cius, in quibus suam pietatem, Reli- **Sæcul. XVI**
 gionem, prudentiam, charitatem erga **A. C. 1586.**
 pauperes, necnon suam in exornandis
 Ecclesiis liberalitatem luculentis argu-
 mentis semper testatam reddidit. Postea
 sub Pio V. Apostolicæ Cameræ Cleri-
 cus ad Carolum IX. Franciæ Regem
 decernebatur: inde autem reversus in
 laboris sui præmium ab eodem Ponti-
 fice in tertia Cardinalium inauguratío-
 ne Purpuratorum Collegio anno Incar-
 nationis Dominicæ millesimo quingen-
 tesimo adscribebatur, ubi sanciendo
 sacro fœderi contra Turcas toto studio
 incumbebat: demum regnante Gre-
 gorio XIII. Bonnoniensem Legationem
 obibat, maxima cum prudentia, atque æ-
 quitate totam hanc ditionem moderatus,
 insuper Romæ Ecclesiam S. Mariæ, quam
 de Vallicella vulgo dicimus, amplifi-
 cavit, ac ædes in commodum Sacerdo-
 tum Congregationis Oratorii propriis
 pecuniis coemit.

Tandem e vivis abiit Romæ die
 Martis tertio Calendas Octobris anno
 Christi millesimo quingentesimo octua-
 gesimo sexto, ætatis autem sexagesimo
 quarto, cadaverque ejus in ædibus
 S. Mariæ de Vallicella requiescit.